

» S. Sedem authentica declaratio
» non emittatur.»

Atqui tandem aliquando, eius-
modi declaratio prodit. Cum enim
Episcopus Perigordiensis die 25
Maii 1883 ad Supremam Inquisitio-
nem idem dubium detulisset. Haec
ita respondit.

Illm̄e et Rm̄e Domine.

« Litteris diei 25 praeteriti Maii
» Amplitudo tua Supremae huius
» Congregationis examini propone-
» bat tria sequentia dubia. »

« 1°. Fere omnes Constitutionis
» Apostolicae Sedis Commentatores
» docent, excommunicationem mi-
» norem vi huius Constitutionis abo-
» litam esse. Utrum haec sententia
» tuto doceri possit in Seminario?»

2°. Iterum omnes eiusdem Con-
stitutionis Commentatores docent,
illum Confessarium excommunica-
tioni non subici, qui complicem in
peccato turpi absolvere fingit sed
re ipsa non absolvit. Contrarium ta-
men declaravit S. Poenitentiaria
die 1. Martii 1878. An potest Ora-
tor permittere ut in suo Semina-
rio doceatur praefata Commentato-
rum sententia responso S. Poeni-
tentiariae opposita?

3°. An permittere potest ut in
suo Seminario tamquam probabilis
doceatur nonnullorum recentiorum
opinio, quod liceat infantem in u-
tero matris occidere ad matrem
relevandam, si alias mater et in-
fans perituri sint?

Porro Em̄i Patres una mecum
Inquisitores generales in Congrega-

tione habita Feria IV die 5 verten-
tis Decembris, ad examen revoca-
runt primum et alterum ex propo-
sitis dubiis. Siquidem tertium cum
sit obiectum plurium petitionum,
quae ab aliis quoque Ordinariis trans-
missae sunt, adhuc penes Supremum
hunc Ordinem in studiis est.

Iam vero ad 1. iidem Em̄i Pa-
tres responderunt: *Affirmative*.

Ad 2^m vero: *Negative*; facto ver-
bo cum Sanctissimo quoad utrum-
que.

Cum autem SSm̄us D. N. has
Em̄orum Patrum resolutiones ac
responsiones adprobare ac plene
confirmare dignatus sit, eas Ampli-
tudini tuae pro sui norma commu-
nico; ac impensos animi sensus Ei-
dem testatos volo, cui fausta omnia
a Domino precor.

Amplitudinis tuae.

Romae die X Decembris 1883.

Addm̄us uti Frater

Aloisius Cardin. Bilio.

Exinde licitum non est defen-
dere, nullam a Confessario incurri
excommunicationem, qui compli-
cem suum absolvere simulet.

Cum enim eiusmodi decretum a
Romano Pontifice *adprobatum et
plene confirmatum* fuerit, Benedi-
cti XIV sanctionem etiam ad hunc
casum extendit; consequenter no-
vam emisit legem, cum legis ex-
tensio nova sit *lex*, quae ab uno
Supremo Principe ferri possit.

Et quidem prudentissime et ra-
tione plurima ductus R. Pontifex
casum hunc sub lege conclusit. Im-

cationem contrahit ex Cap. *Cogen-
tes*, ad tramites declarationis latae
a Suprema Inquisitione.

ADDITIO AD APPENDICEM XI.

Hac in Appendice quaerere no-
bis proposueramus: *Utrum licitum
esset in Italia ad urnam politicas
accedere*. At causis nobis notis quae-
stionem illam peragere non po-
tuimus. Hinc quaestione illa prae-
termissa, inquisivimus: Utrum in
Italia quis tuto officium Deputati
procurare et acceptare posset?
Pag. 398.

Atque respondimus, neminem si-
ne venia Romani Pontificis posse
munus Deputati acceptare. *Ibid.*

At post haec, die 30 Iulii an. 1886
a Suprema Inquisitione lata fuit de-
claratio, qua omnibus patefecit,
formulam *non expedire*, qua usa fue-
rat S. Poenitentiaria dum interro-
gata fuerat an licitum esset ad po-
liticas electiones accedere, aequi-
pollere *prohibitioni*.

Atque ad rei veritatem transcri-
bimus litteras Em̄i Cardinalis Mo-
naco, prout iacent in Actis S. Se-
dis *Tom XIX. pag. 94.*

*Ex S. Congr. S. R. U. Inquisi-
tionis.*

Declaratio quoad Responsum *Non
expedire* datum a S. Poenitentiaria
relate ad suffragium ferendum in
politicis electionibus.

Illm̄e et Rm̄e Domine.

« Opinio invaluit apud Dioeceses
» Italiae quamplurimas, politicas

probi Confessarii enim qui absolu-
tionem complicis simulare possent,
ob eamque nullam poenam contra-
herent, poenitentem quidem deci-
perent, se in profundum malorum
conjicerent, legem semper elude-
rent, atque semper in idipsum re-
dire possent impune. Id vero erat
omnino cavendum.

EMENDATIO IN APPENDICEM X.

In Appendice X. qua egimus de
excommunicatione lata in usurpa-
tores bonorum ecclesiasticorum,
Comment. Tom. 1. pag. 371 scri-
psimus: « Idipsum autem de eo
» qui sequestrum a iudice petit,
» dici non potest: hic enim ex
» duplici capite excommunicatio-
» nem incurrit; ex Capite quidem
» septimo, quod cogat iudicem lai-
» cum ad trahendum ad suum tri-
» bunal personam ecclesiasticam
» praeter canonicas dispositiones;
» et ex capite praesenti quod in-
» iuste, quamvis per sententiam iu-
» dicis, bona ecclesiastica seque-
» stret. »

Porro qui sequestrum petit, cum
persona privata sit nullam ex ca-
pite VII excommunicationem incur-
rit. Sed neque si qui illud petit
auctoritatem habeat, dummodo pe-
tat ad tramites iuris vigentis; hoc
enim in casu ut alius quilibet spe-
ctandus est. Si autem sequestrum
per fas et nefas iudici imponat,
eaque de causa persona ecclesias-
tica in ius trahatur, excommuni-

» urnas adire licitum esse, ex quo
» S. Poenitentiaria, quoad hoc per-
» contata, tantummodo respondit:
» *Non expedire.*

« Ut omnis vero abiiceretur ae-
» quivocatio Sanctissimus Pater, au-
» dita sententia istorum EE. DD.
» Cardinalium, inquisitorum gene-
» raliū, collegarum meorum, ius-
» sit declarari quod *non expedire*
» prohibitionem importat. Ego au-
» tem declarationem hanc dum Am-
» plitudini tuae communico, adii-
» cere cogor, Sanctissimum Patrem,
» his in adiunctis, firmam manute-
» nere prohibitionem eiusmodi. »

« Perutile quoque Amplitudini
» tuae erit responsa agnoscere, quae
» S. Poenitentiaria anno 1883 dedit
» Episcopis sciscitantibus, tum quo-
» ad peccatum quod committitur,

» tum quoad censuras quae con-
» trahuntur, politicis interessendo
» electionibus. Quoad peccatum, an
» scilicet culpae gravis reus haben-
» dus esset, qui suffragium daret
» pro Deputatorum electione, re-
» sponsum paruit: *Sese habebit in ca-*
» *sibus particularibus iuxta suam*
» *conscientiam et prudentiam, omni-*
» *bus perpensis adiunctis.* Quoad
» vero censuras: *irretiri vel non*
» *irretiri censuris, electionum po-*
» *liticarum causa, pendere ab ad-*
» *iunctis facti, et ab animi electo-*
» *rum dispositionibus; adiuncta et*
» *dispositiones ponderandae iuxta*
» *normas quae in subiecta materia*
» *a probatis exhibentur auctoribus.*

» Romae 30 Iulii 1886.

» Addictissimus in Domino
» R. Card. Monaco » (1).

(1) Illmo e Rmo Signore.

In parecchie Diocesi d'Italia è invalsa l'opinione che sia lecito il concorso alle urne politiche, perchè la S. Penitenzieria richiesta in proposito ha risposto soltanto: *non expedire.*

A togliere ogni equivoco il S. Padre, udito il parere di questi Eminentissimi Cardinali Inquisitori generali miei Colleghi, ha ordinato che si dichiari, il *non expedire* contenere un *divieto*. Ed io nel comunicare questa dichiarazione alla Signoria Vostra ho il dovere di aggiungere che il Santo Padre nelle presenti circostanze tiene fermo questo divieto.

E gioverà alla Signoria Vostra conoscere le risposte date dalla Sacra Penitenzieria nel 1883 ai Vescovi, dai quali fu consultata, ed in quanto al peccato che si commette, ed in quanto alle censure che si contraggono nel prender parte alle elezioni politiche. In quanto al peccato se dovesse cioè tenersi reo di colpa grave chi andasse a dare il voto per la elezione dei deputati, la risposta fu: *Si regoli nei casi particolari secondo ciò che detterà la sua coscienza e prudenza, considerate tutte le circostanze.* In quanto alle censure: *Che l'incorrere o non incorrere nelle censure per le elezioni politiche dipende dalle circostanze del fatto, e dalle disposizioni di animo degli elettori; circostanze e disposizioni da ponderarsi secondo le norme che si danno sul proposito da buoni autori.*

Roma 30 Luglio 1886.

Affezionatissimo nel Signore
R. CARD. MONACO.

Epistolis praemissis, declaratam prohibitionem ita exponi posse arbitramur.

Id quod prohibetur, vel est intrinsece malum, ut adulterium, homicidium, etc., vel tantum extrinsece; quatenus scilicet obiectum, vel actio aliqua per se licita sit, illicita tamen evadat, quod prohibita fuerit. Ex. gr. prohibitio facta protoparentibus edendi de fructu ligni quod erat in medio Paradisi, tum prohibitio Iudaeis a Deo facta edendi carnes porcinas, tum alia huiusmodi sexcenta. « Illicitum, inquit Vicat, *Dictionarium iuris utriusque*, voc. *Illicitum*, est quod per leges, Senatus consulta, edicta, Constitutiones Principum non licet, quod vetitum et prohibitum est. »

Ut patet, in primo casu voluntaria legis transgressio est semper illicita; in alio gravitas vel levitas culpae pendet a voluntate legem ferentis, qui eam alligare potest adiunctis quibuslibet, prout bono subditorum expedire iudicaverit.

Hinc quamvis certum sit, Romanos Pontifices, dum aliquid utcumque prohibent, sub gravi peccato prohibere, non enim prohibitiones huiusmodi feruntur pro sanctimonialibus aut viris religiosis, tamen peccati gravitatem non simplici facto, quod per se bonum est, alligant, sed vel circumstantiis, vel animi dispositionibus quibus factum peragitur. Ita ut datis in agente his vel illis circumstantiis, his vel illis animi dispositionibus, a peccato

excusetur. Id vero evidentissimum in re nostra est. Etenim (supposito antea quod responsiones Sacrae Poenitentiariae concordare omnino debeant cum declaratione emissa a R. Pontifice, quod scilicet formula *non expedire* aequipolleat *prohibitioni*, idque etiam ea de causa ne S. Poenitentiariae Praefecti sine ratione locuti videantur), certum est ex ipsis epistolis et responsis S. Poenitentiariae, per accessionem ad urnas politicas simpliciter et grave peccatum et excommunicationem incurri: *Quoad peccatum*, inquit, *an scilicet culpae gravis reus habendus esset, qui suffragium daret pro Deputatorum electione etc. Quoad vero censuras; irretiri, vel non irretiri censuris etc.*

Igitur eiusmodi prohibitio per se et simpliciter importat tum grave peccatum, tum excommunicationem: Sin minus et ridicula foret prohibitio, et magis ridicula S. Poenitentiariae responsa forent.

Attamen quoniam accedere ad urnas politicas per se bonum est, et malum evadere possit ratione circumstantiarum, vel alius obiecti coniuncti, in quod necessario feratur deputatorum politicorum electio, (quod obiectum coniunctum in Italia est dominium temporale Sanctae Sedis); possint insuper subesse circumstantiae, rationes, vel etiam intentiones, quibus quis aut teneatur ad urnas politicas accedere, aut arbitretur sibi esse accedendum, aut putet nulla lege, vel poena id

esse prohibitum, hinc Romanus Pontifex in illa prohibitione ferenda horum omnium rationem habuit, edixitque, dum rata habuit responsa S. Poenitentiarie, et a peccato et ab excommunicatione illos electores immunes esse, qui vel compellerentur ad urnas accedere, vel recta omnimodis intentione ad illas accederent, nulla videlicet intentione habita posthabendi S. Sedis iura, vel plene ignorantibus legem poenasque adnexas. Consequenter id unum R. Pontifex prohibuisse dicendus est, accedere scilicet ad urnas politicas animo Sanctae Sedis dominio temporali infesto. Si enim dicamus, hanc prohibitionem R. Pontificem simpliciter tulisse, nulla habita circumstantiarum, scientiae, et voluntatum ratione, nullo pacto responsa S. Poenitentiarie cum declarata prohibitione conciliantur; prohibitio enim discors esset a responsis, et responsa discordarent a prohibitione, ut quisque qui sane mente potiatur, intelligit.

Prohibitio enim importaret simpliciter peccatum grave et excommunicationem. Ergo ad haec incurrenda una sufficeret voluntaria prohibitionis transgressio; habenda nempe esset hoc in facto identica ratio quae habetur in incurrendis aliis excommunicationibus. Atque hinc corruerent duo responsa S. Poenitentiarie, ex quibus de peccati existentia decernere in *casibus particularibus* committitur *conscientiae et prudentiae* Confessoriorum,

omnibus perpensis adiunctis; De excommunicationis vero existentia decernendum statuitur ex *adiunctis facti*, et *dispositionibus animi electorum*; consequenter S. Poenitentia edixit prohibitionem a S. Pontifice latam, datis his vel illis adiunctis, non importare neque excommunicationem, neque peccatum grave, sine quo excommunicatio, quae maxima est in Ecclesia poena, non incurritur; edixit quapropter, prohibitionem illam simpliciter latam fuisse sub peccati et excommunicationis poena: utrumque autem evitari posse ob adiuncta, atque animi dispositiones quae insint electoribus. Perpendamus hinc quatenam esse possint haec facti adiuncta, et hae dispositiones animi electorum, quarum causa hi excommunicatione eximantur.

Porro adiuncta sunt circumstantiae quaedam factum concomitantes atque ab electoris voluntate independentes, ita ut vel in eius potestate non sit eas remove, vel non sine gravi damno et incommodo. Dispositiones vero animi sunt affectus, voluntates, intentiones quibus elector inducitur ad urnas accedere; cum vero hae animi dispositiones possint esse vel bonae, vel malae; in lege autem sermo sit de pravis animi dispositionibus, ex quibus Confessarii diiudicare debent utrum electores excommunicationem incurrerint, (si enim de qualibet animi dispositione etiam de bona, sermo esset, inquisitio hu-

iusmodi esset supervacanea, cum electores excommunicatione percellerentur quamlibet haberent animi dispositionem), hinc nonnulla dabimus indicia ad dignoscenda tum adiuncta, tum animi dispositiones.

Et quoad adiuncta:

1°. Peccato et excommunicatione eximuntur qui ad urnas politicas accedunt timore alicuius damni subeundi, quod grave aestimari possit. Ex. gr. Si quis aliquod munus gerens timeat ne eo privetur, ne ab officio quod exercet in inferius adducatur; ne ab loco in quo illud exercet, et tunc se habet, in alium transferatur inferioris ordinis; deterioris aeris etc.

2°. Ea pariter eximendi sunt quibus minae illatae fuerunt ab iis qui vel auctoritative, vel etiam private eas executioni demandare possunt.

3°. Illi quibus, cum sint subordinati, a superioribus praeceptum fuit ad electiones politicas accedere.

4°. Illi, qui rationabiliter timeant ne incurrant sive principis, sive magistratuum indignationem, si electionibus sese abstineant.

Hi enim omnes, ut quisque videt, prava animi dispositione non ducuntur, cum nisi malum aliquod timerent, ad electiones politicas non forent accessuri; ab adiunctis vero in quibus versantur, coguntur quodammodo ad electiones accedere. Atque de cetero cum R. Pontifex pro eiusmodi electionibus nullam intulerit directam excommunicationem, censendus est ea incur-

renda illos eximere velle, qui aliqua de causa ad electiones politicas agendas inducuntur, sine ullo latae prohibitionis contemptu.

Quoad animi dispositiones.

1°. Ii omnes qui ignorant prohibitionem et poenam adnexam, et sunt numero maiores, nec committunt peccatum, nec excommunicationem contrahunt.

2°. Pariter illi qui dicant, se ad electiones politicas accessisse unice motos unitatis Italicae constabiliendae causa, quin ullam Romano Pontifici iniuriam inferre cogitarent, eiusque iuribus detrahere vellent. Cum enim unitas nationalis sit maximum bonum politicum, qui illud, ceteris salvis, procurat, nullo peccato obstringitur, multoque minus excommunicatione; bonum enim, non malum agit.

3°. Multoque minus erunt illi excommunicati qui respondeant, sese ad electiones politicas accessisse ut nationi Italicae probos et sapientes deputatos atque legislatores procurarent, improbos autem arcerent; atque hac unica de causa accessisse, quamvis prohibitionem nossent; hi enim optima ducuntur animi dispositione.

4°. Demum nec illi excommunicati erunt qui electiones quidem peregerunt, etiam in latae prohibitionis contemptum, attamen a se electi desciverunt, cum maiora suffragia non retulerint.

Quod postremum ut rite intelligatur advertendum est, Pium Pa-

pam IX in Const. *Apostolicae Sedis*, Cap. XII, tit. 1, excommunicatione percussisse: *Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios Civitates, terras, loca, aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia, vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis; nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.*

Hoc autem Caput commentati sumus Tom. 1. pag. 377.

Cum itaque excommunicentur ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes; ergo etiam ad factum quod continetur illis verbis: *retinentes supremam iurisdictionem in eis.*

Electores igitur Deputatorum politicorum in tantum peccabunt, vel excommunicatione plectentur, in quantum praestant vel auxilium, vel favorem ad retinendam supremam iurisdictionem in dominiis S. Sedi subiectis. Atqui ut favoris praestiti causa quis excommunicationem incurrat, necessarium est ut favor influxerit in vetitam actionem. Actiones enim secundariae ad principalem actionem consequendam ponuntur, quae in casu est *retinere supremam iurisdictionem in dominiis ad Romanam Sedem pertinentibus.* Cum igitur electio deputati desciverit, patet quod favor praestitus nullo pacto influxit in vetitam actionem; nullo igitur pacto favens uti excommunicatus est habendus.

Si enim aliter dicamus, sequeretur, eligendum nullam contraxisse excommunicationem eo quod nullam assecutus sit supremam iurisdictionem in dominiis S. Sedi subiectis, contraxisse vero fautores, qui favore suo nihil contulerunt. Quod est ridiculum, cum actiones secundariae excommunicatione percillantur intuitu principalis, et effectu sequuto, nisi aliud disertis verbis lege caveatur.

Qui igitur in re peccato et excommunicatione detinebuntur? Profecto illi qui cum legem et poenam adnexam noverint, tamen ad electiones politicas accedunt eo animo et mente, ut per unitatem nationis Italicae Romanus Pontifex expoliatus temporali dominio maneat. Atque hi tantum. Haec est enim *unica ratio* qua Romanus Pontifex prohibet catholicis Italiae quominus ad urnas politicas accedant. Sin minus neque prohibuisset, neque prohibere potuisset; sicut nec prohibuit, neque prohibere potuit unitatem politicam Statuum foederatorum Americae Septentrionalis, Helvetiae, Germaniae, aliarumque nationum.

EMENDATIO AD APPENDICEM XV.
Tom. 1. pag. 437.

Hac in Appendice commentaria institimus in clausulam qua absolventur excommunicationes latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae.

Atque a pag. 439 ad 450 de-

monstrare conati sumus, impeditos Romanam Sedem adire pro consequenda absolutione ab excommunicatione sive speciali sive simpliciter Romano Pontifici reservata, posse absolvi ab Ordinario loci, vel etiam a quocumque Sacerdote ad Confessiones approbato, si lapsus in excommunicationem neque Episcopum adire potuerit.

Eiusmodi sententia quae nobis communis erat cum omnibus fere Commentatoribus, reiicienda nunc est ob decretum latum a Suprema Inquisitione, quod excribimus ex Actis S. Sedis Tom. XIX, pag. 46.

Decretum quoad absolutionem casuum et censurarum Papae reservatorum.

« Quaesitum est ab hac S. Congregatione Romanae et Universalis Inquisitionis:

» I. Utrum tuto adhuc teneri possit sententia docens ad Episcopum aut ad quemlibet Sacerdotem approbatum devolvi absolutionem casuum et censurarum, » etiam speciali modo Papae reservatorum, quando poenitens verusatur in impossibilitate personaliter adeundi Sanctam Sedem?

» II. Quatenus negative, utrum recurrendum sit saltem per litteras, ad Eminentissimum Cardinalem maiorem Poenitentiarium pro omnibus casibus Papae reservatis, nisi Episcopus habeat speciale indultum, praeterquam in articulo mortis, ad obtinendam absolvendi facultatem? »

Feria IV die 23 Iunii 1886.

« Eñi ac Rñi Patres Cardinales, » in rebus fidei generales Inquisitores, suprascriptis dubiis mature perpensis, respondendum esse censuerunt: Ad I. *Attenta praxi S. Poenitentiariae praesertim ab edita Constitutione Apostolica sac. mem. Pii Papae IX, quae incipit: Apostolicae Sedis, Negative.*

» Ad II. *Affirmative.* At in casibus vere urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat, absque periculo gravis scandali vel infamiae, super quo Confessariorum conscientia oneratur, dari posse absolutionem, iniunctis de iure iniungendis, a censuris etiam speciali modo Summo Pontifici reservatis, sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium Confessarii, absolutus recurrat ad S. Sedem. Facto verbo cum Santissimo. »

Feria IV die 30 Iunii 1886.

SSm̄us resolutionem Eñorum Patrum approbavit et confirmavit.

IOSEPHUS MANCINI

S. R. et U. Inquisit. Secret.

Ex prolato igitur decreto manifestum est, nec ad Episcopos aut locorum ordinarios, nec ad alium quemlibet Confessorem approbatum devolvi absolutionem poenitentis irretiti censuris Romano Pontifici sive speciali modo, sive simpliciter reservatis.

Hac in re Eñi Patres Supremi Inquisitores stricto prorsus sensu

clausulas Constitutioni *Apostolicae Sedis* a Pio Papa IX appositas interpretari et esse interpretandas censuerunt; animadverterunt insuper per eas iuri antiquo derogatum fuisse.

In praesentiarum itaque ut quis absolutionem a censuris sive speciali modo, sive simpliciter R. Pontifici reservatis consequatur, necessarium est, prout etiam in antiquo iure, ut ad Romanam Sedem sese conferat, si nullo impedimento detineatur: si vero rationabiliter fuerit impeditus, debet vel per epistolam, vel per medium Confessarii ad S. Sedem recurrere, quo absolutionis beneficium consequatur.

Id vero etiam ex stylo adhibito a S. Poenitentiarum post latam Const. *Apostolicae Sedis* censuere Eñi Patres Supremae Inquisitionis. Cum enim post illam Constitutionem non pauci Episcopi et Confessarii sese ad S. Poenitentiarum converterint causa impetrandarum huiusmodi a censuris absolutionum pro impeditis Romam adire, facultates petitas benigne S. Congregatio concessit, non concessura si putasset impeditos hos posse absolvi vel ab Episcopo vel a quolibet Confessario approbato. Atque id est quod intelligunt per illa verba: *Attenta praxi S. Poenitentiarum, praesertim etc.*

Impediti vero illi omnes censentur quos in cit. appendice XV nos recensuimus, hac enim in re nulla facta fuit exceptio, neque derogatio.

Attamen in Dubio II. affirmant

Patres, *in casibus vere urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat, absque periculo gravis scandali vel infamiae, dari posse absolutionem, iniunctis de iure iniungendis, a censuris etiam speciali modo Summo Pontifici reservatis.*

Quaerimus hinc: utrum, supposito periculo gravis scandali vel infamiae, eiusmodi absolutio etiam a censuris speciali modo Summo Pontifici reservatis, dari possit non impeditis Romam se conferre; vel absolute cum eiusmodi casibus urgentioribus coniungi debet impedimentum praedictum?

Et quidem illud verum putamus; absolutionem scilicet eiusmodi a censuris Romano Pontifici speciali modo reservatis concedi posse etiam non impedito Romam se conferre, dummodo adsit periculum gravis scandali vel infamiae. Revera

1°. Scandalum vel infamiam vitare de iure naturae est: Ecclesia autem iuri naturali derogare non potest; hinc quis ab censuris Romano Pontifici speciali modo reservatis posset absolvi, quamvis in lege contemplatum non fuerit periculum scandali vel infamiae, dummodo hoc periculum reapse intercedat. Hinc si Benedictus XIV pro absolvendis complicibus unum excepisset mortis periculum, prout fecerat in Const. *Sacramentum poenitentiae*, poterat complicem absolvere ille Confessarius qui sin minus incurrisset infamiae et scandali inferendi periculum. Certi autem sumus, hanc fuisse

causam, qua tantus Pontifex inductus postea fuit ad excipiendum etiam infamiae et scandali periculum in Const. *Apostolici muneris*.

2°. Leges modis omnibus concordare debent. At in lege sancita a Benedicto XIV contra absolventes complices sive pro sanis, sive pro infirmis exceptum fuit periculum infamiae subeundae; ergo et in hoc S. Officii decreto idem intelligere debemus. Cf. *Append. IX. Tom. 1. pag. 305.*

3°. Leges quaelibet naturali et obvio verborum sensu sunt usurpandae: at periculum scandali vel infamiae subire possunt etiam illi qui nullo impedimento detinentur, quominus Romanum Pontificem adeant; quin imo hoc periculum incurrere possent prorsus hac de causa quod Romam pergant; ergo ab eiusmodi periculo non sunt excludendi non impediti Romam adire.

4°. Demum in cit. decreto nihil apparet ex quo deduci possit, non impeditos excludendos esse ab absolutionis beneficio in casibus vere urgentioribus, si adsit periculum scandali vel infamiae.

Nihil porro dicimus de periculo mortis: in hoc enim quaelibet reservatio cessat.

Attamen qui reperiuntur in illis casibus urgentioribus, absolvi quidem possunt, iniunctis tamen iniungendis relate ad censuram quam contraxerunt, vel peccatum quod commiserunt; ex. gr. si quis per-

cusserit Episcopum, ut veniam ab eo petat, eique competentem seu christiano homine dignam satisfactionem porrigat; si complici in peccato turpi absolutionem porrexerit, ut huius confessiones excipere de cetero se abstineat si id sine scandalo et infamiae periculo fieri possit; sin minus severiora media adhibeat, quo omne lapsus periculum caveatur etc.

Praeter haec autem, infra mensem, vel per epistolam, vel per medium Confessarii recurrere ad S. Sedem debet, ut ab ea legitimam facultatem obtineat qua a censuris absolvatur.

Quod ni perfecerit, iterum censuris ipso iure percellatur, absolutus enim fuerat sub poena reincidentiae nisi infra mensem sive per epistolam, sive per medium Confessarii ad S. Sedem recursum haberet.

EMENDATIO IN APPENDIC. XVIII. *Tom. 1. pag. 536.*

Hac in Appendice egimus de excommunicatione lata in perpetrantes duellum, eorumque complices. Atque *pag. 569* affirmavimus, excommunicationem illos paternos, complices, etc. incurrere, qui intersunt duello nescientes, illud perpetrantes fecte ex condicto agere.

Cum fautores, et participantes excommunicatione feriantur relate ad factum principale, seu principales agentes, cum hi nullam in casu excommunicationem contra-